

do negotiis impeditus in sero sabbati tonsorem vocasset; et capillum sibi attonderi curaret, vidit daemone in angulo stantem, et detonsos ac decedentes capillos colligentem ac numerantem. Attonitus ergo quærit, cur id faceret. Cui daemone se capillos eos suo principi ferre debere, aliquando contra abbatem producidos, qui feriale diem sic violaret. Ait Alchardus: *Dabo operam, ut præveniam te, et quod a me minus recte gestum, mox per confessionem expiem, et ita te confundam.* Fecit, ut dixit, convocavit fratres, publice suam culpam confessus et expiatus est. Mira res! Capilli prius ex parte detonsi, omnes ei restituti sunt, ut nulla prorsus pars rasuræ vel tonsionis in eo appareret. Ad quid hoc putamus a Deo factum? Nisi sciremus, restitui etiam penitenti per confessionem; quidquid ei culpa abstulerat etiam minima quæque, et quasi capillos?

Famam quoque restituit, deletque contractam prius infamiam, ut patet in Maria Magdalena, Matthæo, Zachæo, aliisque. In politicis, qui ob scelus aliquod plexus incidit in infamiam, etsi precibus aut pecunia redemptus, retinet tamen infamiae notam. At non ita, qui per penitentiam Deo reconciliatus est; quinimo macula prior vertitur in gloriam.

IV. Ovo candido calculi pelluntur, ut refert cit. auctor de ovis, cap. XLIX. Potestas clavium relaxat etiam penas, non tantum æternas (quod ex præmissis sequitur) sed ex parte etiam temporales, vi satisfactionis a confessario injunctæ, quæ ut pars sacramenti operatur longe efficacius, quam quæ sponde assumitur. Non est spernendum etiam hoc bonum. Si enim quis tibi aureum nummum daret, qui ob aliquam ejus virtutem aut dignitatem decuplo plus valeret, quam communis alius, nonne tu id munus magni aestimares? Vel si mille aureorum debitum centum aureis solvere posses, nonne multum foret? Vel si alchimista aliquis argentum tuum in aurum verteret, ut mille florenos, quos debes, posses solvere centum aureis, quæ gratia tibi fieret? At hoc tibi præstat absolutio sacramentalis, a sacerdote impertita. Si enim confessio Davidis, quæ juris naturæ tantum fuit, magnam pœnarum temporalium mitigationem una cum remissione culpæ obtinuit, multo magis obtinebit confessio et absolutio sacramentalis. Convictus erat David adulterii et cædis non unius Uriæ, sed multorum aliorum, quos Ammonitæ gladio simul cum ipso peremerunt: David etiam ore suo reum mortis pronuntiavit eum, qui non adulterium, non cædem fecerat; sed pauperi ovem dumtaxat rapuerat, et nihilo minus post duo verba: *Peccavi Domino, audit: Non morieris*; cum tamen ipsi

ejusque domui gladium sempiternum et mortem Deus per os Nathan jam decrevisset. Mitigata est igitur ei pœna, ut pro patre ejusque domo filius infans moreretur. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: (gehennam in mitiorem pœnam commutando) *non morieris*, alias scilicet moriturus propter homicidium et adulterium, II. Reg. XII. Quare bene S. Chrysostomus, hom. 1. in Psalm. L. miratur quam diversa sint Dei et hominum judicia; quam hæc severa, quam illa mitia. Quam multa enim peccata his paschalis diebus condonata et penitentibus levissimis abluta sunt a confessariis, quæ si publice constitissent magistratibus, plexa fuissent gladio, laqueo, rota, rogo. Ac licet metuendum per illas parvas satisfactiones non omnem omnino reatum abstersum esse, non dubium tamen, quin magna saltem pars remissa sit, juxta contritionem penitentis. Quare sicut villicus iniquitatis remisit uni debitori domini sui quinquaginta cados olei, alteri viginti coros tritici, Luc. XVI. sic de pœna temporaria remittunt aliquid confessarii injungendo penitentiam.

V. Ovi luteum cruorem excreantibus prodest, Steng. loco cit. Aiunt etiam medici testam ovi cineratam, et in vino epotam sanguinis eruptionibus mederi. Idem cap. XVIII. num. VIII. sanguis noster peccata sunt, qui sæpius e peccato erumpit, memoriam et fœditatem scelerum nostrorum nobis ante faciem ponendo et quasi improperando, quemadmodum fecit David, qui Psal. L. fatetur ipse: *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper, quasi sanguis scilicet innocentis Uriæ a me fusus, perpetuo oculis meis obversans.* Unde mox orat: *Libera me de sanguinibus Deus.* Restituit ergo penitenti pristinam animi tranquillitatem et gaudium conscientiae, quod indicavit Dominus in parabola filii prodigi, cui pater instituit convivium et symphoniam.

Addit sæpe Deus extraordinaria quædam dona, uti Henrico II. Angliæ regi victoriam, mox post peractam penitentiam, apud Sur. in vita S. Thomæ Cantuar. episcopi, 29. jan. apud Sur. comiti penitenti filium in vita S. Anselmi episcopi Bellicensis, 26. jun. apud eundem.

Superest igitur ut pro tanto munere Deo grati simus, idque sicut est revera, maximi aestimemus, et non commitemus amplius pro ullo temporali bono. Turnius cum Antonii partes contra Augustum secutus fuisset, et victoria a parte Augusti stetisset, metuens sibi subornavit filium, qui a victore Augusto veniam peteret. Petiit et impetravit. Tam Turnius Cæsari gratias agens, dixit: *Hæc una abs te, o Cæsar, injuria facta est mihi, ut vivendum et moriendum*

michi sit ingrato, significans tantum se ab eo accepisse beneficium, dum et vitam obtinuit, et in gratiam receptus est, ut nullo unquam tempore dignas ei gratias referre posset. Quid jam dicat, quæso, Christo Christianus post tot injurias sibi irrogatas et sibi condonatas, qui et a morte per eum ereptus et in gratiam receptus, et novis donis auctus est? Et quomodo melius gratias agemus, quam hoc donum digne aestimando et sedulo conservando. Hoc igitur agamus, et doleamus, quod sub tanto benefactore vivendum et moriendum nobis sit ingratis.

CONCIO V.

SIGNA RESUSCITATORUM SECUNDUM ANIMAM.

I. Vita immutatio. — II. Depositiō odiorum et restitutio debitorum. — III. Patientia adversitatum.

THEMA.

Nisi videro in manibus ejus fluxuram clavorum, non credam. Joan. XX.

Non est vana quæstio, an plus obligemur Sancto Thomæ, qui tarde, quam reliquis apostolis, qui cito crediderunt resurrectionem Christi. Sane S. Gregorius, hom. 1. in hodiern. evangelium ait: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur.* Quod si ita est, volo hodie potius Thomam, quam discipulos alios sequi. Ecce? Videntur sibi hoc tempore plurimi e vitiis et damnationis barathro erepti esse, adeoque cum Christo resurrexisse. Et credo hoc de plerisque. Sed ut credam de omnibus et singulis, hic ego Thomas sum, ac nisi videro et tetigero vestigia, non credam. Neque vero, auditores, hæc mea infidelitas oberit vobis; proderit potius. Obeset sane, si dicerem omnes surrexisse sine omni dubio. Hinc enim minatur Deus pseudopropheta, Ezech. XIII. *Eo quod deceperint populum meum dicentes: Pax, et non est pax. Et ipse (populus) ædificabat parietem (caducum) illi autem lineabant eum luto absque paleis.* Videntur sibi multi erexisse nunc parietem contra gehennam: sed quid si e silicibus structus sit? Quid si eum luto obliverint? Itaque nolo ego talis esse litor. Medicus esse malo.

I. *Nisi videro* in te cicatrices seu figuram clavorum, id est, signa quæ ostendunt te crucifixum, adeoque novum hominem, non credam resuscitatum. Nam ubi emendatio nulla, penitentia necessario vana, ait Tertull. lib. de penitent. cap. II. Conversio hominis est, cum spectans occasum, convertit se ad orientem. Morali-ter, quando peccator, qui prius se convertit

ad res occiduas, post vertit illis dorsum, et convertit faciem ad orientem, id est, Deum; quando recedit a via perditionis, et sectatur viam salutis, nec sequitur amplius amatores suos. In vitis pp. apud Rosweid. lib. VI. libello IV. dicebat abbas Joannes de anima, quæ desiderat penitere: « Quædam pulcherrima peccatrix fuit in quadam civitate, quæ habuit plurimos amatores. Quidam autem vir de ducibus veniens ad eam, dixit: Promitte mihi castitatem tuam, et ego te accipiam in uxorem; illa igitur promittente, eam introduxit in domum suam. Cumque a suis amatoribus quæreretur, agnito quod ille tam magnus vir sortitus eam esset in uxorem, dixerunt: Si accesserimus ad januam hominis tam potentis, cognoveritque desideria requirentium, procul dubio puniemur. Sed venite post dorsum domus, utamur solito sibilō, cumque illa sibilantium sonitum audierit, descendet ad nos et inveniemur innoxii. Quæ cum audisset, signavit aures suas et exiliens in interiora domus ingressa est, atque clausit. » Sic nimirum postquam anima peccatrix a prioribus amatoribus se uni Christo despondit per penitentiam, redibunt mox amatores pristini, eique sibilabunt, a quibus si refugiat, et ad Christum confugiat, signum est eam vere penituisse, et Christo fidelem esse. Quod si illis ostium aperiat, signum est, nondum recessisse ab eis, nec vere eam adherere viro suo. Quare si everteris Israel, ait Dominus, ad me convertere, id est, si convertas te, vere convertas, ut sis alius homo, non qui fuisti, Jer. IV. Serpens bibiturus deponit venenum, sed post resumit. Ergone interea serpens non est; Judæi vestes exuerunt, et Christo substraverunt; sed mox reinduerunt, ergone mali non fuerunt, qui post eum condemnarunt? Non se ex integro convertit Grimoaldus dux Baviaræ, postquam ad instantiam Sancti Corbiniani Frisingensis episcopi, renuntiavit incesto concubio cum Piltrude defuncti fratris sui uxore. Tametsi enim victus, tandem una cum pellice ad pedes episcopi accidit, et promissa thori separatione absolutus est, quia tamen: « Non longius, ut par erat, inquit Baronius, anno 724. a se feminam illam ablegavit, reversus ad vomitum ulciscente Numine in se quoque Dei vindictam miser expertus est, » ab insidiatoribus interfectus: ipsa vero ad extremum in tantam ignominiam et inopiam redacta, ut non nisi asellum unum possideret, misere tandem perit. Conversio etiam hominis est, cum qui supra caput stetit, conversus supra pedes stat. Peccatores prius capite in terram verso ambulaverunt, uti vidit cæcus ille, qui nondum plene a Christo illuminatus, cum rogaretur quid videret, ait: *Video homines velut arbores ambulantes,*

postea integre curatus cœpit clare omnia vivere, Marci VIII. Peccatores prius ambularunt velut arbores capite in terram verso, pedibus sursum erectis. At vero conversi mutare situm debent juxta id apostoli ad Colossenses III. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quaerite.* Simili modo æger ille ad piscinam, Joannis V. sanatus a Christo jussus est surgere et tollere grabatum suum. Quæ prius ipsi requies fuit, postea onus et sarcina facta est, quod prius ipsum portavit, post ab ipso portatum fuit. Ita quæ prius deliciæ erant, post peractam pœnitentiam fiant horror, nausea et onus. Quod prius te velut debilem sibi alligavit, tu jam fortis effectus tibi alliga et vince. Rursum nisi videro in manibus tuis cicatrices, id est, memoriam plangentem priora peccata tua, non credam. Quisquis enim vere conversus est, sæpe recordatur lapsuum suorum, eosque deflet et aversatur. Id etiam præcepit Deus Hebræis Ezechielis XX. *Cum induxero vos (e Babylone) ad terram Israel recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, et displicebitis vobis.* Septuaginta legunt: *Percutietis facies vestras, in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris, quas fecistis.* Hæ cicatrices vexarunt adhuc Davidem, Psalm. XXXVII. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ,* quasi dicat: Quando recordor lapsuum meorum, videoque obductas cicatrices, tunc iterum fetorem quasi ex putri vulnere sentio ob meam insipientiam, qua peccavi tam stulte. Id ipsum etiam recolit Psalmo LXXXVII. quem composuit in rememorationem de sabbato, id est, quiete amissa in statu innocentie et gratiæ, ut explicant Augustinus et Gregorius; in quo inter alia ait: *Dolor meus in conspectu meo semper.*

II. *Nisi mittam digitum in locum clavorum.* Clavi, qui peccatorem confixerunt ac vulnerantur, sunt odia et rancores, sunt bona injusta, et honor ablati, sunt scorta et libidines, sunt libri prohibiti, impudici, magici et hæretici, uti et amuleta magica, etc. Hi omnino extrahendi sunt, prout jubent confessarii, ita ut in eorum locum digitum mittere possim. Multi quidem multa promittunt in confessione, quod velint removere ista, sed promissis non stant. Similes adolescenti illi nobili, propinquo Neronis defuncto, quem in præsentia Sancti Petri Simon magnus suscitare divinis carminibus conatus est. Et visus est agitare caput, qui mortuus erat, ita ut clamor attolleretur gentilium, quod jam viveret. Sed Petrus silentio inducto: *Si vivit, inquit, loquatur; si resuscitatus est, surgat ambulat, fabuletur.* Sed is nihili horum præstitit; separato ab eo mago immobilis et mortuus

mansit. Petrus eum postea vere suscitavit, Hægesippus, libro III. exc. Hierosol. cap. II. Hunc in modum multi in confessione annuunt capite se restituros aliena, ejecturos pellices, vindictam deposituros, libros impudicos combusturos. At non præstant. Quid de his dicam? Vultis credam eos vivere? Minime: Thomas sum. Nisi videro eos surgere, loqui, ambulare: clavos illos, qui lacerarunt eorum mentem, eximere, non credam eos vivere. Videtur talis fuisse Achab rex Israel, qui cum machinatione uxoris occidisset Naboth velut blasphemum, et spoliasset vinea sua, erexisset simulacra, inclusisset Michæam in carcerem: ubi audivit sibi ab Elia denuntiari supplicium mortis, seidit vestem, operuit se cilicio, jejunavit, dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite, III. Reg. XXI. Unde aliqui putant veram fuisse ejus pœnitentiam. Sed et si hoc demus, solida tamen et perfecta non fuit, sed inchoata tantum, ac si domum meam et non solvam; quia non satisfecit, non restituit vineam et honorem lapidato Naboth, nec confregit simulacra, nec Michæam dimisit. Clavi isti adhuc ei infixi erant. Non ergo surrexit, saltem integre et solide, sed phantastice, ut vult Sanctus Gregorius, homil. IX. in Ezech. aut summum ad momentum, ut alii. Fuit igitur hypocrita tantum seu histrio, externa pœnitentiæ signa præferendo. At vero pœnitentibus: *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra,* ait Joel, capite secundo. In corde latent odia, avaritiæ, turpis amor, hæresis, etc. illa excindenda et abjicienda sunt. Magdalena omnino renuntiavit impuro amori, Zacchæus bonis alienis, Ephesii, qui fuerant curiosi secuti, contulerunt libros magicos et combusserunt coram omnibus, Act. XIX. B. Anno episcopus Coloniensis in raptu mentis vidit se inter ss. præsules in cœlo sedere, sed una fœda macula in pectore vehementer dehonestari, quam et frustra tegere nitebatur. Itaque a cæteris repulsus e consessu, audiit ab amico, cui hoc narravit, ut memoriam offensæ erga Colonienses aliquot, a quibus civitate expulsus erat, e corde deleteret, et in gratiam rediret si eo consessu dignus haberi vellet. Id quod statim fecit, revocatis Coloniensibus et honorum confiscatione relaxata, Surius, tom. VI. Ubi sunt ergo, qui dicunt se quidem remittere injuriam velle, sed non oblivisci? Sanctus Basilius, homil. VIII. in hexam. « Audite vos, audite, inquit, qui gravem amarumque geritis animum, quique mali memoriam vobis illati, tamquam virtutem probitatemque quamdam exercere soletis, cuinam animati persimiles sitis. Olim verberibus cæsa camelus, ira longe post tempore recondita, cum idoneum opportunumque nacta fuerit

tempus, malum illud tandem reddere solet. » Christus certe resurgens omnes non solum injurias acceptas in passione, sed et memoriam earum deposuit. Nullius enim injuriæ unquam mentionem fecit, nemini ullam exprobravit. Desertores sui discipulos fratres appellat: Petro perfidiæ reo præ cæteris nuntiari resurrectionem suam jubet. Euntibus duobus in Emmaus et passionem ejus commemorantibus respondet: *Quæ? quasi nesciret quid secum actum esset in passione.* Talis si fueris, credam te resurrexisse.

III. *Nisi mittam manum meam in latus tuum.* Satan noluit credere quod vere et solide viveret Job secundum animam: priusquam tactu eum exploraret. Rapuerat illi jam filios et bona omnia; sed his non contentus: *Mitte manum tuam, ait ad Deum, et tange os et carnem ejus, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi,* Job II. Tetigit, sed vivum et solidum reperit. Simili modo qui vere suscitatus in Domino vivit, vexatione, tribulatione, reprehensione deprehenditur. Nam si patienter ea ferat tamquam millies debita peccatis suis, credo eum vivere: sibi vero non credam. Qui enim vere pœnitet, non excusat, non confunditur, nullam pœnam detrectat; sed de seipso vindictam sumit. Saul post delictum suum increpatus a Samuele, ait quidem: *Peccavi;* et hoc iteratis vicibus. Sed imprimis male excusat peccatum, et in populum derivat: *Peccavi, timens populum, et obediens voci eorum;* deinde vult honorari coram populo, non confundi aut vilipendi, ne regno suo excideret: *Peccavi, sed honora me coram populo,* I. Regum XV. Coram populo tantum vult honorari, et quidem post peccatum. Sed hanc ejus pœnitentiam, adeoque etiam ipsum reprobat Deus per Samuelem. Non sic David, qui et ipse de peccato redargutus a Nathan ait: *Peccavi, sed ait: Domino.* Non excusat, non vult honorari, non timet confundi aut puniri: non dolet ob proprium damnatum, sed ob offensum Dominum: non ægre fert reprehendi quasi

unus de plebe; et cum postea a Semei homine plebeio impeteretur probris, quinetiam luto et lapidibus, audiretque *vir Belial, et vir sanguinum,* nihil oblocutus est, sed agnovit illico manum Dei, per hominem illum se castigantem, velut centies plus meritum: *Dimitte eum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Idem fecerunt in novalige plurimi. Otho IV. imper. ab Innocentio III. excommunicatus, quod Ecclesiæ domina invasisset multaque alia mala patrasset ob quæ imperio depositus fuit ad finem, respiciens a Sigfrido Hildesheim episcopo absolutus, in arce Hattensburg decumbens, ineffabili compunctione pœnitens coquinariis suis mandavit, collum suum ut calcaneis premerent, seque pro vilissima Dei creatura reputarent, Crantz. lib. VII. Saxon. c. XXXVII. Addit Cantipratanus, l. II. c. LIII. se audisse ab iis qui morbo et morti ejus interfuerunt, quod omni die dorsum sacerdotibus Christi flagellandum dederit; sicque tanta cum contritione obiisse, ut Conradus episcopus Hildesheim, putarit ipsum vix una hora in purgatorio detinendum.

Hæc sunt judicia, hi fructus vere conversorum, de quibus Joannes Bapt. dicebat: *Ne velitis dicere: Filii Abraham sumus, sed facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ita et nos ne dicamus statim: *Filii Dei jam sumus;* sed fructus pœnitentiæ ostendamus. Dicite enim mihi, unde nosse queam arborem jam mortuam rursus revivisse, nisi ex ejus virore et fructibus? Hæc si non videam, revivisse non credam. Qui suos fructus pœnitentiæ? Fugere peccata toto conatu, eadem in se punire, denique compensare bonis operibus. Et quidem grandia peccata grandi pœnitentiâ, leviora levioribus expianda. Ideo lateris vulnus grande tota manu; vulnera manuum minora digito tangi vult Dominus. Unde S. Cyprianus, serm. de lapsis: *Quam magna, inquit, deliquimus, tam granditer defleamus.* Magno ulceri magnum emplastrum applicandum.